



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Cantate Evangelium Ioan. XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**



propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristitiam habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et in illo die me non interrogabitis quicquam.

## DVO SVNT LOCI.

- I Prædictio de afflictionibus Ecclesiæ.
- II Consolatio in his afflictionibus.

## DOMINICA CANTATE EVANGELIUM Ioan. XVI.

**N**unc autem uado ad eum, qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me, quo uadam. Sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, Consolator ille non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem,

O iij quia



DOMINICA

quia non credūt in me, De iusticia uero, quia ad Patrem uado, & posthac non uidetis me. De iudicio autem quia Princeps huius mundi iam iudicatus est.

Ad hæc multa habeo, quæ uobis dicam, sed non potestis portare nunc. Cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audierit loquetur, & quæ futura sunt annuntiabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, Propterea dixi, quod de meo accipiet, & annuntiabit uobis.

SUMMA EVANGELIJ.

*Descriptio est regni Christi, uidelicet, officij descendendi, summæ Euangelij, & persecutionis.*

**P**rimum ait, Spiritus sanctus arguet mundum. Hic ostendit Christus regnum suum non esse mundanam politiam, humanis consilijs, & uiribus, aut armis constituendam, sed esse cœtum, cui præest



præest filius Dei, dans Spiritum sanctum, arguentem singulos & omnes, scilicet, per ministerium Euangelij. Etsi autem nihil est contemptius munere docendi Euangelij, tamen hic magnam potentiam ei tribuit. Nam arguere, est superioris, & habentis auctoritatem. Estq; reprehensio errorum, & peccatorum humanorum. & est efficax obiurgatio. impellit corda, ut agnoscat iram Dei, uulnerat mentes, & conuertit aliquos ad Deum, impijs uero maledicit, ut ruant in perpetuum interitum. Sicut ab initio in Ecclesia Spiritus sanctus arguit mundum. Noe arguit suum seculum. Moises arguit Pharaonem. Elias, Eliseus arguerunt reges Israel. Daniel reges Babylonicos. Baptista, Pontifices, Herodem, & alios. Deinde Christus, Apostoli, & successores arguerunt omnium gentium homines, multos conuerterunt, Ecclesiam collegerunt, & Tyrannis maledixerunt. Et fuit efficax Spiritus sanctus in credentibus iuuandis, & in impijs puniendis, magna mutationes mundi secute sunt. & manet hoc officium in Ecclesia, quæ alias est magis, alias minus pura, alias maiores coetus habet. ut nunc rursus excitata est flamma Euangelij, qua Spiritus sanctus arguit idolatrias mundi, & ostendit salutarem doctrinam, qua multi conuertuntur ad Deum, & fiunt mutationes rerum.

O S Hæc



## DOMINICA

Hæc omnia complectitur uerbum arguendi, seu reprehendendi. Quare singuli cedamus huic auctoritati, & potentie. Et rogemus filium Dei, ut in nobis quoque Spiritus sanctus sit efficax, arguat prauas opiniones, peccata, in nobis & alijs, impellat corda, ut agnoscant iram Dei. Sic & Paulus Rom. 1. inquit, Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem.

### DE SECVNDO.

#### De distinctione doctrinarum.

#### DE PECCATO, QVIA non credunt &c.

**M**Vndus nouit peccata ciuilia, seu externa, ut cedes, adulteria, furta, Sed radicem peccati non nouit uidelicet, contemptum Dei, & contemptum filij Dei donati, ut sit propitiator. Itaq; hoc peccatum prorsus ignotum est rationi, uidelicet, quod nostra natura sit sub peccato, & omnia nostra sint rea, sed sic tantum liberemur à peccato, si credamus filium Dei esse propitiatorem. Hæc non iudicantur à ratione, sed tantum sunt reuelata in Euangelio. Ideo refragantur humana iudicia. Videtur absurdum filium Dei crucifigi, uidetur res inutilis, et commentitia, promittere liberationē à peccato, & morte aeterna, per fiduciam huius crucifixi. Arguit igitur has tenebras humanæ mentis Euangelium.

De



DE IUSTICIA, QVIA  
uado ad Patrem &c.

**M**undus intelligit iustitiam esse obedientiam legum, sed Christus hic aliam iustitiam proponit, scilicet, suam passionem, resurrectionem, perpetuam intercessionem, & efficaciam. Nam hæc omnia complectitur, cum ait, Vado ad Patrem, moriar, resurgam, regnabo, ero mediator coram patre, ero saluator. Sumus igitur iusti, id est, accepti, non nostris uirtutibus, sed propter Christum mediatorem, passum, & regnantem. Hæc iusticia longe discernenda est à legis iusticia. Etsi enim opera habent suum locum, tamen non sunt illa res, propter quam sumus reconciliati, & accepti Deo, sed propter mediatorem Christum sumus iusti, id est, accepti fide, & donamur uita æterna propter Christum euntem ad patrem, resuscitantem nos à mortuis, & constituentem regnum æternum. Vtrunque autem ignorat mundus, peccatum & iustitiam, ignorat filium Dei, & ueram inuocationem, ideo fingit cultus sua audacia. Hinc sunt omnium gentium idolatriæ. Has damnat et arguit hæc uox Spiritus sancti, quæ clamat peccatum esse, non credere in filium Dei, et nos iustos, id est, acceptos esse propter mediatorem Christum, & donari uita æterna, quia Christus abiit ad patrem &c. Cum hoc modo agnouimus  
filium



DOMINICA

filium uere possumus inuocare patrem, & libera-  
mur à falsis cultibus &c.

DE IUDITIO.

**D**ixit de summa Euangelij, uidelicet, quod na-  
tura nostra sit sub peccato, & quod tantum  
fide in Christum à peccato liberemur, item,  
quod iusti & salui simus transitu Christi, nunc ad-  
dit tertium de iudicio, id est, de persecutione. Mun-  
dus offensus specie imbecillitatis Christi, & Euan-  
gelij neget hanc uocem esse uerbum Dei, & diabo-  
lus hostis filij Dei impellit sua membra, ut omni seui-  
tia deleant Euangelium, & in tanta potentia impio-  
rū uidetur subinde interitura tota Ecclesia, sed emer-  
git tamen, & resistit potentiae Diaboli, & mundi, et  
manet non humanis uiribus, aut consilijs, sed quia  
Christus reprimit Diabolum iam iudicatum, & con-  
demnatū. Non potest igitur Diabolus grassari quan-  
tum uult, nec perdere Ecclesiam, quae glorificabitur  
suo tempore, imo neq; in hac uita funditus eam dele-  
re potest. Ita in hac contione quasi pictura Ecclesiae  
proponitur, cum inquit, Arguet mundum, testatur  
eam uerbo condi, deinde discernit doctrinam à le-  
ge, quod non liberemur à peccato, nisi fide filij Dei.  
Item, quod iusti simus propter Christum mediatorē,  
& quod detur uita aeterna ipso eunte ad patrem, id  
est, regnante & resuscitante nos &c.

Iam



Iam hæc cum profitetur Ecclesia, Diabolus exci-  
tat ingentia certamina, & mundus defendit suas  
opinionēs, idolatrias, & alios errores, ideo Ecclesia  
interim sub cruce est, Sed uincit tamen, et glorifica-  
bitur, quia Diabolus condemnatus est. Has consola-  
tiones diligenter meminerimus, ut discamus quomo-  
do contingat liberatio à peccato, scilicet, fide in fi-  
lium Dei. Discamus item, nos non esse iustos pro-  
pter nostras uirtutes, sed propter filium, qui uadit  
ad patrem, id est, intercedit pro nobis. iustificat, &  
uiuificat &c. Discamus item, in tantis periculis non  
interituram tamen esse Ecclesiam, etiamsi rabies  
impiorum, & potentia Turcica, & multæ confu-  
siones rerum humanarum, uidentur penitus minari  
interitum Ecclesie.

DOMINICA VOCEM IVCVN-  
ditatis, Eangelium Ioan-  
nis XVI.

**A** Men amen dico uobis, quæcunque  
petieritis Patrem in nomine meo,  
dabit uobis. Hactenus non petistis  
quicquam in nomine meo. Petite & ac-  
cipietis, ut gaudium uestrum sit perfe-  
ctum. Hæc per prouerbia loquutus sum  
uobis. Veniet tempus, cum iam non per  
pro-